



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

IX. De causis, & dispositionibus gratiæ habitualis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

hæc peccata, justum velle privare augmento gloriæ essentialis, ut certè privaret, si propterea gratiam illius habitualem minueret; tum quia si gratia habitualis per peccata venialia remitteretur, tot ejusmodi peccata committi possent, ut tota tandem gratia evanesceret.

Dicas 1. Quantitatem gratiæ quæ deperditur per peccatum veniale, esse adeò exiguam, ut nunquam perveniatur ad ultimum gradum. Sed contra, nam contingere potest, ut gratia in aliquo sit valde remissa, & ille quotidie innumera peccata venialia committat; quidni ergo poterit hic homo, etiam, ultimum gratiæ gradum deperdere?

Dicas 2. Et si perveniatur ad gradum ultimum, eum per peccatum veniale non posse aboleri, quia peccatum illud non jam veniale, sed mortale esset, eò quòd mortem afferret animæ. At neque hoc placet, quis enim credat in eo casu, verbum otiosum fore peccatum mortale, propter nocumentum nullo modo intentum aut prævisum, sed invincibiliter ignoratum? Aliàs sequeretur, omnia justorum peccata esse mortalia, quia cum nesciant an gratia quam habent, per unum peccatum de se veniale possit tota destrui, quotiescunque ex advertentia vel leviter peccarent, exponerent se periculo amittendi totam gratiam, & consequenter peccandi mortaliter: unde singula eorum peccata quantumvis de se levia, propter ejusmodi periculum essent mortalia.

CAPUT IX.

De causis, & dispositionibus gratiæ habitualis.

RESOLUTIO I. *Deus solus est causa efficiens principalis gratiæ, & nullæ est aut esse potest creatura adeò perfecta, quæ sit causa principalis illius.* In primis quòd Deus sit causa, principalis gratiæ, nimis apertum est, quòd verò solus Deus de facto sit causa principalis illius patet, tum ex illo *Job. 14.* Quis potest facere

cre mundum de immundo conceptum. *semine* ?
 nonne tu qui solus es ? tum quia nullum assignari
 potest agens creatum, in cuius virtute gratia habitua-
 lis continetur, ut à fortiori ex jam dicendis intelli-
 getur.

Tandem quod neque de potentia absoluta, possit
 gratia pendere à re aliqua creata, ut à causa princi-
 pali, sic ostenditur; nam vel agens illud per potentiam
 sibi connaturalem, haberet vim producendi gratiam,
 vel per facultatem aut qualitatem minimè connatu-
 ralem à Deo sibi infusam. At neutrum dici potest, nō
 primum, quia sic deberet dari substantia aliqua su-
 pernaturalis, quod fieri non potest, ut *lib. 1. cap. 7.* ostē-
 dimus; non etiam secundum, quia qualitas illa debe-
 ret esse perfectior gratia, quod quomodo fieri pos-
 sit satis intelligi non potest, cum non videatur
 possibilis aliqua qualitas, quæ perfectius participet
 naturam divinam, quam ipsa gratia habitualis, cuius
 ea vis est, ut hominem constituat filium Dei ado-
 ptivum, eique det jus ad beatitudinem omnium
 perfectissimam, quæ in clara Dei visione confi-
 stit.

Ex his collige, Deum non tantum esse causam gene-
 ralem gratiæ, sed etiam particularem; quatenus ipse
 solus, sine consortio alterius causæ principalis eam
 producit. Imò cum nullum agens præter Deum, pos-
 sit concurrere ut causa principalis ad productionem
 gratiæ, hinc etiam Deus dici debet causa particularis
 illius potiori titulo quam dicatur causa particularis
 eorum effectuum, quos solus producit, cum tamen
 ex se inter agentia creata causam aliquam efficien-
 tem habere possent.

Porro etsi nulla sit, aut esse possit causa principalis
 gratiæ præter Deum, non tamen repugnat in rebus
 creatis reperiri causas instrumentales illius saltem
 morales, sic enim Sacramenta novæ legis concurrunt
 ad nostram justificationem, tanquam instrumenta
 illius, ut patet *ex tract. de Sacramentis*. Christi etiam

R s huma-

Humanitas habebat quendam influxum instrumen-
talem ad productionem gratiæ, ut ex dictis *lib. 2. cap.*
27. manifestum est.

RESOLUTIO II. *Gratia habitualis non creatur, sed educitur è subjecto, nempe ex ipsa substantia anima.*
PRIMA PARS PROBATUR, nam creatio proprie est actio qua res fit ex nihilo, id est, ex nullo præjacenti subjecto, materialiter concurrente ad talem productionem; atqui productio gratiæ non ita fit ex nihilo, quia cum gratia sit accidens, ea producitur dependenter ab anima tanquam à subjecto materialiter concurrente ad illius productionem. *Confirmatur*, nam si gratia produceretur per creationem, ea vi sua subsisteret per se; quemadmodum anima rationalis per se subsistit, eo ipso quod illius productio est creatio.

Dices 1. Gratia est nobilior anima rationali; ergo creatur non secus ac illa. *Respondeo* non sequi, quia cum anima sit substantia, ea nobiliorem essendi modum habet quam quodcumque accidens.

Dices 2. Ex communi usu loquendi, homines dicuntur creari secundum gratiam, ergo gratia creatur. *Respondeo* hoc debere intelligi de creatione improprie, seu moraliter sumpta, ut gratia creari dicatur, non quod fiat nullo præsupposito subjecto, sed quia confertur sine præcedentibus meritis proprie dictis; sicut etiam interdum dicitur infundi, quia extrinsecus advenit.

Secunda pars offenditur, quia duobus tantum modis forma aliqua produci potest, vel independenter à subjecto, adeoque per creationem; vel dependenter à subjecto, ac proinde per educationem. At gratia non producitur per creationem, ut ostensum est ergo per veram educationem produci debet.

Dices 1. Gratia non continetur in potentia anima, cum hæc sit naturalis, illa supernaturalis; ergo ex illa educi

educi non potest. *Respondeo* gratiam non contineri in potentia naturali animæ, sed in obedientiali, ac proinde posse saltem à Deo ex ea educi.

Dices 2. Anima rationalis est imperfectior gratia, ergo hæc non potest ex illa educi. Non sequitur, forma enim substantialis educitur ex materia, etsi hæc illa sit ignobilior. Et ratio est, quia causalitas materiæ erga formam, non est ut eam perficiat, sed ut ab ea perficiatur.

Tertiam partem suadetur, nam cum gratia habitualis hominem ad esse divinum elevet, congruum est ut in ipsa animæ essentia constituatur, quemadmodum habitus operativi recipiuntur in ipsis potentiis animæ operativis, ut sic debita proportio inter esse naturale, & supernaturale serveretur. *Confirmatur*, nam gratia est naturâ prior habitibus operativis, cum hi ab illa pendeant tanquam proprietates quædam moraliter ei debitæ; ergo æquum est ut illi competat subjectum, quod sit natura prius subjecto habituum.

Dices, dispositio est in eodem subjecto, in quo est forma ad quam disponit; sed gratia est dispositio ad gloriam, & gloria est in potentiis animæ, ergo etiam gratia in illis existit. *Respondeo* majorem esse veram de dispositione naturali & physica, non autem de morali, seu quæ solum ex ordinatione divina ad formam aliquam disponit, qualis est gratia habitualis respectu gloriæ.

RESOLUTIO III. *Gratia habitualis non requirit dispositiones physicas, sed morales, easque multiplices.*
PRIMA PARS PROBATUR, nam gratia primum locum obtinet inter habitus & qualitates supernaturales, quatenus per se loquendo omnes consequuntur gratiam, tanquam proprietates illius, ergo nulla qualitas potest assignari, quæ sit dispositio physica ad gratiam: ea enim ut sic necessario gratiam in subjecto præcederet. *Deinde* illa dispositio deberet esse qualitas supernaturalis, ad illam autem non

requireretur aliqua prava dispositio physica, ne daretur progressus in infinitum; quare neque ad gratiam habitualem talis aliqua dispositio admittenda est.

Secunda pars ostenditur, nam Scriptura sæpe hortatur peccatores ad conversionem, aliosque actus sub quorum conditione promittit illis peccatorum suorum remissionem, quod signum est ejusmodi actus esse in illis dispositiones ad gratiam. *Favet ratio*, æquum enim est ut qui liberè à Deo recessit peccando, liberè ad eum revertatur, ut peccati remissionem obtineat.

Porro illi actus non tantum sunt morales quoad entitatem quatenus scilicet sunt liberi, sed etiam quantum ad causalitatem, seu quatenus disponunt ad gratiam; cum non semper concurrant ad justificationem, ut patet in parvulis rationis usu carentibus; & quando concurrunt, ut in adultis, illi sunt actus fidei, spei, & charitatis qui ex se nullam habent connexionem physicam cum gratia.

Tertia pars suadetur, nam in primis fides est necessaria ad salutem cum sine illa impossibile sit placere Deo, ut testatur Paul. *Hebræ. xi.* Nomine autem fidei non intelligitur fides illa Calvinistica, qua quis certò credit peccata omnia sibi esse remissa, ob Christi merita; cum enim talis remissio nulli à Deo revelata sit; non potest esse objectum fidei Christianæ, & ad salutem necessariæ. Neque refert illud ex Symbolo Apostoli Credo remissionem peccatorum, sensus enim est, in Ecclesia Catholica vigere potestatem remittendi peccata, quod aliud est.

Itaque fides necessaria ad justificationem est illa, qua credimus mysteria quæ nobis fide divina credenda proponuntur, ut colligitur ex Scriptura sacra, speciatim verò ex verbis illis *Marci ult.* Prædicate Evangelium omni creaturæ, qui crediderit (Evangelium scilicet) & baptizatus fuerit salvus erit. Et ratio idem ostendit, quia fides ad justificationem necessaria, non est alia quàm quæ ad salutem requiritur;

Hæc

Hæc autem est illa qua mysteriis à Deo revelatis assentimur, ut liquet ex verbis illis Athanasii in Symbolo; Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Præterea ad justificationem ordinariè requiritur timor divinæ justitiæ, qui ex fide oritur; homo enim credens Deum esse justum in vindicandis peccatis, timet divinum judicium, & ad emendationem vitæ eo timore provocatur. Hujus autem amoris necessitas commendatur, tum in aliis Scripturæ locis, tum *Eccle. i.* his verbis; Qui sine timore est, non poterit justificari.

Rursus ad justificationem ordinariè necessaria est spes divinæ misericordiæ, ut patet ex illo *Rom. 8.* Spe salvi facti sumus, & rectè docet Ambrosius *lib. 1. de Pœnitentiâ cap. 1.* his verbis, Nemo potest bene agere pœnitentiâ, nisi qui speraverit indulgentiam. Et ratio est, quia qui considerat peccata sua, & credit digna esse supplicio, non moveretur ad justificationem, nisi spem divinæ misericordiæ conciperet. Potest tamen Deus extraordinariè movere aliquem immediate post actum fidei ad actum perfectum amoris Dei, qui est ultima dispositio ad gratiam, absque actu formali timoris Dei, aut spei.

Denique dilectio Dei est dispositio ad justitiâ, ut intelligitur ex illo *Luca 7.* Remittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum; & quia non censetur diligere Deum, nisi qui vult omnia illius mandata servare, & peccata opposita fugere, hinc tandem propositum servandi mandata & peccata fugiendi, ad justificationem requiritur.

RESOLUTIO IV. *Dispositio ultima ad gratiam sanctificantem non procedit effectivè ab ipsis habitibus gratiam comitantibus, sed ab auxilio quodam actuali divinitus immisso.*] **PROBATUR** 1. nam id quod disponit subjectum ad formam aliquam recipiendam, ita ut hæc ex illo educatur, non potest effectivè ab illa

forma pendere; siquidem talis dispositio debet prius natura existere, quam existat forma illa ad quam subjectum preparat, sicque repugnat quod effectivè ab illa dependeat. Cum ergo dispositio ultima verè animam preparat, ut gratiam habitualem recipiat, non quomodocunque, sed ita ut gratia ex illa educatur, consequens est dispositionem illam non posse à gratia habituali, aut ab habitibus supernaturalibus cum ea infusis effectivè pendere.

Probatnr 2. Nam ultima dispositio ad gratiam habitualement effectivè procedit à gratia excitante & adjuvante, ut patet ex Concilio Trident. *sess. 6. cap. 5.* ergo non procedit ab ipsis habitibus gratiæ; sequela patet, quia per gratiam actualem liberum arbitrium sufficienter constituitur in actu primo ad operandum supernaturaliter, sine ullius habitus consortio, ut *cap. 6.* ostensum est.

Dices 1. Deus efficere solet id quod magis congruit naturis rerum, sed magis consentaneum est naturæ actus supernaturalis; ut producat per habitum supernaturalem; quam secus, ergo ita fieri dicendum est. *Respondet* minorem veram esse de actu qui fit, postquam habitus productus est; falsam autem de actu qui subiectum disponit, ut in eo producat habitus.

Dices 2. Ultima dispositio ad gratiam est de condigno meritoria primæ gloriæ, ergo procedit ab eadem gratia. *Non sequitur*, quia etsi actus ille non procedat effectivè à gratia habituali, ab ea tamen superveniente veluti formatur, & dignitatem quandam moralem accipit, ratione cuius fit dignus vitæ æternæ, & ad eam acceptatur.

Dices 3. Si contritio non procedit effectivè à gratia habituali sed illi in priori naturæ supponitur, sequitur remissionem peccatorum fieri in anima prius natura quam illi gratia infundatur; siquidem contritio ipsa habet vim formaliter expellendi peccata, cum animam ab iis perfectè avertat. *Negatur* id sequi, licet enim

enim contritio sit perfecta dispositio ad expulsio-
nem peccatorum; non tamen vi sua ea expellit for-
maliter, ut dicemus cap. sequenti.

Hic nota, ad majorem dictorum intelligentiam, eodem instanti temporis quo ultima dispositio existit, gratiam habitualement infundi: hoc enim est proprium ultimæ dispositionis, ut eam forma consequatur, cum nulla ratio sit eorum productio formæ ulterius differri debeat; & aliunde Deus qui est fidelissimus in implendis promissis, gratiam homini promiserit sub conditione talis dispositionis. Unde et si actus ultimo disponens ad gratiam sanctificantem, ut sic sit illa prior naturæ ordine quia est causa illius: si tamen spectetur ut à gratia, in posteriori signo rationis infusa, formatur, & valorem accipit, sub eo respectu est gratia posterior naturæ ordine.

RESOLUTIO V. *Non potest homo certò scire, certitudine fidei divina se justum esse, potest tamen certitudinem quandam moralem habere de sua justitia.*] PRIMA PARS est de fide definita in Conc. Trident. sess. 6. cap. 9. & can. 14. contra Lutherum & Calvinum. Probatur autem primo ex verbis illis *Eccles. 9.* Sunt justi atque sapientes & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, scilicet justus, utrum odio, vel amore dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta, eò quòd omnia æquè eveniant justo, & impio. Et ex *1. Corinth. 4.* ubi Paulus, Neque me ipsum (inquit) judico, nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum, qui autem judicet me, Dominus est. Ex quibus verbis constat, quamvis aliquis nullius peccati conscientiam habeat: non propterea eum justum esse coram Dei judicio quia nimirum ut ait Basilius *Constitution. Monastic. cap. 2.* cum multis in rebus offendamus Deum, majorem tamen offensarum partem ne intelligimus quidem.

Probatur 2. Nam illud tantum fide divina credimus, quod immediatè, & in se à Deo revelatum est.

est; sed quod iste aut ille particularis homo fit iustus, nullibi in Scriptura, aut aliàs sufficienter à Deo revelatum est, ergo &c. Neque dicas hanc specialem revelationem contineri æquivalenter in promissionibus generalibus; siquidem in his promissionibus continentur quadam conditiones ad justificationem necessariæ, nimirum illæ de quibus antè dictum est: nemo autem certus esse potest fide divina, se ejusmodi conditiones apposuisse.

Secunda pars ostenditur, quia etsi ordinariè homines iusti non habeant nisi probabilitatem aliquam conjecturalem, & cum actuali formidine conjunctam, de sua justitia: non tamen repugnat, quin viri perfectiores moraliter sint certi de sua justitia, ita ut de ea actu non formident, saltem ut plurimum, sed suavi quadam pace, & securitate conscientie perfruantur. Hoc enim vel ipsa experientia in plerisque viris sanctis ostendit, & ratio id ipsum suadet, quia cum satis constet non stare per Deum, quin homo iustus sit, ipsique gratus, si quis gratiæ auxiliis magno studio cooperatur, mandata omnia divina sedulo, diuque observat, & peccata omnia etiam levissima fugit, ille merito certus esse potest moraliter, seu citra ullam actualem formidinem, de sua justitia.

Quamquam tamen illa certitudo tantà non est, de lege ordinaria, ut omnem formidinem etiam possibilem excludat; quia cum non sumatur ex revelatione divina, aut ex rei evidentia, non est talis simpliciter ut ei fallum subesse nequeat. Imò interdum contingit, ut viri sanctiores minus sint certi de sua justitia, magisque formident, ut patet in Hilarione qui, referente Hieronymo, morti proximus in hæc verba prorupit. Egredere quid times, egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta propè annis Deo servisti, & mortem times?

Dices 1. ex Paulo ad Rom. 8. Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei.

Respon-

Respondeo, Spiritum sanctum illud testari, quando ut oportet clamamus, Abba Pater: at non est certum ex fide, an opponamus conditionem his verbis subintellectam.

Dices 2. Plerique Patres non obscure indicant, homines posse esse certos de sua iustitia. *Respondeo* eos non loqui de certitudine fidei, sed de conjecturali, aut morali quam nos admittimus.

Dices 3. Quando pœnitens absolvitur, certò debet credere, verba à Sacerdote prolata esse vera, adeoque remissa sibi esse peccata. *Respondeo* pœnitentem debere credere, se à Sacerdote fuisse absoluturum, ex hypothesi quòd ille verè sit Sacerdos, & habuerit intentionem eum absolvendi, & ipse adhibuerit quæcunque sunt necessaria ad debitam confessionem; at ista omnia certò constare non possunt, ut perspicuum est.

CAPUT X.

De effectu formali gratiæ, seu de justificatione.

RÉSOLUTIO I. *Homo est formaliter justus per formam gratiæ ipsi intrinsicam, per quam verè ipsius peccata tolluntur.*] PRIMA PARS est definita in Concil. Trident. *sess. 6. cap. 7* contra recentiores hæreticos qui affirmant, hominem esse justum, non per iustitiam ipsi inharrentem, sed per iustitiam Christi ipsi à Deo misericorditer imputatam. *Probat*ur autem primò ex Paulo *ad Rom. 5.* ubi ait, quòd sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam iusti constituentur multi: sed ita per primum hominem peccatores constituti sumus, ut vera iniustitia in nobis inharreat; ergo per Christum ita iusti constituimur ut vera & intrinseca iustitia nobis insit. Idem ex aliis plerisque locis colligitur.

*Probat*ur 2. ex Augustino qui in ea verba *Psalmi 98.* Iustitiam & iudicium in Iacob, &c. Verè, inquit, exaltate, bene exaltate, laudemus & exaltemus illum qui